QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 8 Aprilis 1717.

M. JOANNE DAVAL, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Testes ad Mentis fecunditatem multùm conferunt?

Nè dicatur immundum, quod creavit Altissimus. Omnia munda mundis. Procul hinc obscœnitas.

I.

HUMANA mens divinâ fecundatur. Hujus fetus, cogitationes: quæ variæ. Aliæ citra corporis commercium fiunt: aliæ ejus ministerio. Illæ circa Deum, ipsamque mentem: hæ circa sensuum objecta versantur. Ex multis, per vices gignuntur. Ex quibusdam, omnes in mente sunt ab ejus creationis exordio: non tamen instar ovorum in ovario. Molem non habent. Locum non occupant. Nonnullis verò videntur mentis modificationes; sed secùs ac animalium fetus: qui è portiunculis corporis parentum modificatis constant; ne igitur quid simile in cogitationibus putes. Apage eorum sententiam, quæ illas in certâ tenuis materiæ modificatione constituit. Materia, vel tenuissima, quâvis ratione modificata dimensione non caret. Extensio, ejus essentia: sine qua nec esse, nec concipi potest: at in cogitatione

627

nil extensum. Mens tamen & ipsius cogitationes à materiâ in multis pendent. Hæc Dei nobilis imago in primis parentibus eleganti fecunditate ante fatale delictum donabatur. Ab hac transgressione aut ferè sterilis est; aut sæpè cum labore parturit; frequenterque luit sui corporis vitia. In cerebro sedet. Qua ejus in parte? non in posteriore, quæ solis vitæ functionibus inservit, sed in anteriore, hujusque medullari substantiâ. In hac è sapientiorum sensu diversi insunt characteres, quos vocant ideas corporeas suscitandis incorporeis inservientes; & quos internas litteras in hanc operam exaratas, ac singularem viventemque librum efficientes non minùs bene nuncupabis. Nil in eo nisi à divino Typographo scriptum, sive proximè, sive spirituum objectis modificatorum interventu. Qui illos characteres à supremo Artifice proximè impressos repetunt: censent Adamum in primâ origine horum penè infinitorum, bellèque apertorum auxilio rerum omnium scientiâ præditum, orbemque universum in ejus cerebro pictum fuisse. Adeò ut hoc mentis domicilium mundi compendium dici potuisset. Post verò primum delictum ejuscemodi typis non parùm depressis Adamum cum ipsius posteritate summæ rerum ignorationi esse traditum non sine veri specie stabiliunt. Inde ad rerum notitiam labor. Inde & actionis objectorum, & voluntatis de ipsis cogitandi, pluries repetitarum necessitas. Illi characteres non æquales in omnibus. In aliis strictiores sunt; in aliis patentiores. In amplo cerebro ritè conformato ampliores, in exiguo arctiores esse debent; ut uberrima foramina arte facta, in majori papyro magis aperta, in minori maximè compressa, angustissima. Multi spiritus insignes cerebri typos, pauci, exiles subeunt. Ab illis claræ, ab his obscuræ notiones. Non mirùm, si cerebrum in fato functis præstantis ingenii viris amplissimum observetur: angustum in fatuis. Si mali ominis sit acuminatum caput. Si aves, pisces, mures, multaque alia animalia; quibus vulgò phantasia, principesque functiones denegantur; medullari callosâque substantiâ aut careant, aut hujus moles in ipsis sit tenuis admodùm, sæpèque vix conspicua. Verùm ejus in homine characteres, quamvis benè dispositi, parùm utiles ad mentis operationes, illiusque fecunditatem. Nisi copiosis spiritibus gaudeant.

II.

CEREBRUM sine spiritibus verè sese habet instar machinæ, vel hydraulicæ sine aquâ, vel pneumaticæ sine aëre. Sine his inutilis prorsùs utriusque concinna coagmentatio. Si verò aqua & aër non deficiant, quid jucundius? quid admiratione dignius? videas aquam è propriâ, quam lustravit, machinâ egredientem: & mirare artificiosos ejus vel saltus, vel decursus, & omnigenas determinationes, ac modificationes innumeras à variis mutuatas suæ machinæ typis, quos solers insculpsit Artifex. Attendas quoque ad aërem pneumatico instrumento variè modificatum. Quibus indè sonorum gra-

tiis, quâ harmoniâ non delectaberis? quanta insuper utilitas ex illis machinis proprio, sibique convenienti liquido refertis expectanda! varii generis moletrinæ, variaque haustra, ad vitæ tùm commoditates, tùm conservationem adeò necessaria, id tibi comprobent. Ex his intelligas solam cerebri dispositionem, mirandam licet, suscitandis animi, ut corporis, actionibus, cogitationibus, fecunditati non sufficere. Quos Dei digitus in mentis operationum gratiam characteres impressit. Hi sine spiritibus dubio procul inutiles. Horum numerus, amplitudo, diversæque figuræ copiosos requirunt. Ut mens ipsorum interventu suos fetus edat. Cerebrum equidem divinâ elaboratum arte elegans est mentis domicilium: sed quid Palatium pulchrioribus licet sculpturæ picturæque ornamentis decoratum sine lumine? quid terra in mediis tenebris, floribus, innumerisque aliis rebus divinitùs pictis ornata? quid cœlum ipsum, orbis decus, præcipua Numinis sedes; si stupendo prodigio fieret omnium astrorum eclipsis? quid ergò microcosmi cœlum absque spiritibus, lumini adeò analogis? ejus tunc cœlestis incola veluti cœca, iners, ferèque sterilis jacet. Sed iis lucentibus, quàm fœcunda! uberrimorum spirituum necessitatem ad copiosos frequentesque mentis partus contrariorum legibus iterum noscas. Dicet tibi experientia, eos esse hebetes, & indecorâ sterilitate affectos; quibus crassior & vapescens sanguis, à quo paucissimi evanidique spiritus. Sic nec in infantibus, nec in senibus mens plerumque viget. Sic obstructis spirituum in cerebrum viis, glandulis præsertim corticalibus, solers priùs & sagax ingenium paucas etiam ac imbecillas cogitationes (raram mancamque prolem) progignit. Quantùm videlicet illud mutatum in soporosis, variisque aliis affectibus vides! immò post ipsos sæpè ejus imaginatio, communium rerum memoria, & pleræque perceptiones languent, depravantur, nec-non interdùm abolentur. Ad mentis igitur fecunditatem spirituum ubertas cum rectâ cerebri dispositione requiratur.

III.

NE tamen censeas spiritus esse mentis fecunditatis authores. Effectus quilibet suæ causæ naturam sequitur. Incorporea à corporeis non procedunt. Ens creatum è nihilo aliquid efficere nusquam potest. In spiritibus, ut potè corporeis, nihil inest incorporeum. Nullæ ideò incorporeæ actiones, nulli mentis fetus ex illis tanquàm ex efficiente causâ manare possunt: ut ex mente nulli spirituum, vel aliorum corporum motus, eorumque nulla genesis, propter similia rationum momenta. Hinc non temerè proferes, eos a vero prorsùs deflectere; qui ab animâ, ut à causâ, corporis functiones repetunt. Porrò anima, cui noscere datum est, corporis mechanicen, ipsosque spiritus, aliosve liquores ad illas efficiendas necessarios, seque tunc agere, adverteret. Quid magis experientiæ contrarium? plura dicam: ipsâ volente, omnes corporis operationes optimè peragerentur: nolente cessarent. Vita & mors sub ejus tenerentur imperio. Quot homines in prosperitate,

ſanitatis & vitæ amantiſſimi, cupitam immortalitatem ſibi largirentur: ſi per Deum liceret? quot è contrà in fortunæ reflatu ſuas miſerias letho finirent. Pauci haud dubiè hac præjudicatâ opinione obcæcantur. Sed multi dicent ipsâ experientiâ teſte, animam ſaltem eſſe certorum motuum cauſam: & vice versâ certos corporis motus quarumdam animæ actionum ac cogitationum effectores. Sed quàm falluntur, pro causâ occaſionem ſumentes! dent manus ſuperiùs allatis argumentis: & aliam, eamque genuinam ac efficientem, illorum effectuum cauſam inquirant. Nullam præter Deum, rerum omnium parentem, invenient. Hæc meritò fuit enti creato negata poteſtas. Illud ex ſe nihil habet: & ſtrictè loquendo nulli ex eo effectus, etiam ipſius naturæ ſimiles, tanquàm è verâ causâ prodeunt. Ex his & ſupra dictis liquet; quàm ſolidè divinum decretum ſtabilitum ſit: & quanto jure auguſtum animi & corporis vinculum cenſeri debeat. Sic ſupremi Conditoris voluntate ſpiritus, non ut cauſa efficiens, ſed ut occaſio, cogitationes in mente ſuſcitant. Si copioſi: quot ſunt illæ! quàm fecunda mens! quanta inde eorum, à quibus potens ſpirituum geneſis, neceſſitas! ad illam plures certè partes, ſed ex his teſtes maximè conferunt.

IV.

NULLA ferè corporis pars, quæ procreandis ſpiritibus non inſerviat. Ventriculus fermento ſuo à ſalivâ forſan non diſcrepante, ſuarumque fibrarum motu, eos ex alimentorum gremio, in quo à naturâ deliteſcunt, primò evolvit. Horum enim geneſis, ſimplex eſt ipſorum ex aliis particulis ſolutio. Huic quoque pulmones non mediocriter favent. Sanguis in horum venâ (ſecùs ac in arteriâ) tenuis, & floribus admixti aëris auxilio, ut alterno repetitoque eorum motu, ſpirituum generationis validiſſimum eſt indicium. Cor ſuis ſolidiſſimis, & maximè oſcillantibus fibris, nec-non arteriæ omnes iiſdem motibus, ſuiſque paſſim labyrintheis anfractibus, ut chymicorum ſerpentinum in eliciendo defecandoque ſpiritu vini, idem opus moliuntur. Lien ipſe, à multis licet deſpectus, ſpirituum procreationem juvat acido fermento ſuis veſiculis contento, & fortaſſis vividiore facto vividiſſimi liquoris è nervo in iis diſperſo ſtillantis admixtione. Partes profectò innumeræ edendis ſpiritibus dicatæ ſunt. Sed ex his præter cerebrum, cui multùm tribuitur, nulla teſticulis potentior. Hujus rei firmiſſimum argumentum, ſeminalis aura à ſpiritibus non diſcrepans; in amore oculorum ſplendor, pulſus micans, exquiſiti ſenſus, rubor & fulgor faciei, lætitia, miraque cogitandi & loquendi facilitas. Hæc & ſimilia (quæ uberrimorum ſpirituum effectus) deficientibus teſticulis non contingunt. Ab illis igitur ſpiritus magnâ ex parte gignuntur. Nec ſolâ rei venereæ cogitatione recenſita phænomena citrà teſtium præſentiam produci ſolent. Iſtarum partium diſpoſitio ad eliciendos ſpiritus apprimè conducens tibi non incaſſum innoteſcet. Illæ microſcopii auxilio oculis exhibent congeriem infini-

torum penè villorum, qui in muribus, alisque nonnullis animalibus sine vitro optico manifestè cernuntur; & qui ita robusti sunt; ut à se invicem facilè separari, iterumque in glomeres convolvi possint. Seminales particulæ per innumeras hasce convolutiones permeare nequeunt sine repetitâ collisione; quâ earum multæ è crassioribus copiosiùs extricantur, jam præperantium, viciniarumque, arteriarum ictibus non parùm evectæ. Subindè è testiculis in epididymidum plexibus simili collisione rursùs acuuntur, mox in seminales vesiculas, & ex his in proximas venulas ubertim, licet partim, transituræ; necnon è sanguine similes expedituræ particulas, ut vividi liquores arte chymicâ proliciti, qui superstiti materiæ pluries affunduntur, ad similium particularum solutionem evectionemque juvandam. Subtiles illi seminis spiritus in corpus reflui mentis fecunditatis ministri sunt: cùm per circuitûs vias ad cerebrum translati ipsum copiosè profundèquè subeunt, cinereo ac glanduloso cortice ex aliis particulis priùs secreti. Huic operæ multùm inservit conclusus nobilissimi ejusce visceris sinubus sanguis. Qui instar balnei Mariæ vicinos purpurei laticis rivulos (prægnantes spirituum matrices partui proximas) rarefacit; & cerebri glandulas, tubulosque blandè reserat, faciliori ac uberiori spirituum secretioni locum daturus. Hic tamen sanguis, quàm infensus, si aut uberior, aut crassior! quàm sæpè tunc est soporis fatalisque apoplexiæ pertimescendus effector! ut potè potentior actione fibrarum, quæ ab uno latere sinuum in alterum transversim latæ sanguinem in salubri statu minùs obsistentem suâ contractione solent in hiantes venulas pellere. Multa in sano cerebro, ut dura meninx insignibus suis oscillationibus, & carotides arteriæ suis innumeris anfractibus, ad edendos secernendosque spiritus maximè conferunt. Sed horum vires sine testiculorum auxilio plurimùm infirmantur. In istis procreationis partibus vividum inest fermentum, quo cæteræ partim, multùm tamen, vigent: quoniam ab illo, ut ab ipsorum testium dispositione validissima spirituum genesis. Rides de fermento. Hoc cum multis explodis; sed perperàm explodis. Microcosmus eadem ac macrocosmus, cujus est compendium, complecti debet. In illo haud dubiè multa sunt fermenta, multa scilicet mole minimâ, quibus maxima potestas. Scintilla flammam immò incendia suscitat. Opii granum unicum sudores movet. Immanes dolores sæpè compescit. Pauca thuris, aliorumque odoratorum grana (in ignem præsertim injecta) multa spatia replent; multorum odoratum percellunt. Hisque benè olentibus eorum mens & vires recreantur: è contrà in hystericis, sæpè enormes convulsivique motus, nec non interdùm horrida quies, & quasi mortis imago, veræ convulsionis soboles, inducuntur. Sed illas brevi levissimus fœtidarum rerum fumus suscitat. Quanta in minimis potentia! efficaciores humani corporis particulæ sub parvâ etiam mole vires supradictis megalocosmi productis non impares nanciscuntur. Maximè si ex aliis inertioribus secretæ sibi invicem contiguæ fiant; earumque vis unita fortior evadat. Quid non possunt ali-

quot ſeminis guttæ in utroque ſexu æſtuantes! quot & quanti earum effectus in corporis generatione? quanta tùm in fœminis mutatio! quid quoque non poteſt ſupra recenſitus lienis ſuccus? præter ſpiritus aliaſque tenues particulas, egregiè bilem ex implicantibus ſanguinis partibus expedit, jecoris glandulis facilè trajiciendam. Id tibi conſtabit ſi ſanguinem venæ portæ è liene proximè & maximâ ex parte redeuntem guſtaveris: ejus enim ſaporem tunc percipies amarum, (certum extricatæ bilis ſignum) qui ſapor in aliis venis alius tibi videbitur, etiam in venâ ſplenicâ: quod ex eâ priùs effluxerit ſanguis; quàm ex ipſius craſſioribus partibus bilis fuerit expedita: quamvis lienis fermentum in hujus venâ agere jam cœperit. Ejuſce fermenti, & forſan aliorum aliundè manantium præſidio factâ bilis evolutione, deinque ſecretione, corporis functiones commodiùs eſſe peragendas pauci haud dubiè inficias ibunt. De fermentorum tamen in homine atque animalibus exiſtentiâ anceps adhuc, & dubius hæres. Ad fortem teſticulorum odorem fortemque ſaporem, præſertim in Hircis & Caſtoribus, variiſque aliis animantibus, tantiſper attendas: & maxima eorum energia, fermentique vis tibi demonſtrabitur, quotidiano inſuper uſu comprobata. Quem enim latet pauca grana Caſtorei (mortuæ licet beſtiæ) mulieres hyſtericas ferè exanimes ad vitam ſubitò veluti revocare. Semen, iterum dicam, tollat omne de fermentis dubium. E corruptâ ejus vel minimâ portione, præſertim in mulieribus, quàm horrenda emergunt ſymptomata! quot ſtrages! ſi verò illud omni ex parte integrum: quis indè vigor! quæ ſanitas! quid meliùs actuoſiſſimi fermenti naturam demonſtrat? fermentorum exiſtentiam, etiamnum diverſitatem ob varias particularum connexiones varioſque poros atque interſtitia utiliſſimam, diverſus glandularum ſapor non parùm etiam ſtabilit. Hoc evincitur, in iis ſuccos ineſſe fetos ſalibus aut diverſis aut diversè mixtis: qui certè non evanidi, ſed variis viribus pollentes; à quibus varii effervеſcentiæ fermentationiſque effectus repetendi. Hos inter non ultimum locum occupat copioſa ſpirituum geneſis actuoſo teſtium fermento facta, & futura potens mentis fæcunditatis occaſio.

V.

TESTICULORUM vim ad ſpirituum procreationem, mentiſque ideò fæcunditatem, Eunuchi priſtinæ ſuæ integritatis memores nimis agnoſcunt. Iſtis dùm fruebantur partibus; quantus ipſis erat mentis corporiſque vigor! nunc mæſti, timidi, ad quaſvis operationes pigri, variiſque laceſſiti ægritudinibus teſtium poteſtatem prædicant. Forſan hæc deficientium in Eunuchis ſpirituum ſigna tibi dubitanti non ſufficiunt. Plurima, quæ ſimul juncta clarioribus haud ſunt demonſtrationibus imparia, inferiùs videas, expendas. Tuum mereantur aſſenſum extincti in illis concupiſcentiæ ignes, vox degener, imbellis, barba non ampliùs luxurians, immò ferè deficiens, languidus pulſus, tumidumque corpus, & maxima in ſomnum propenſio non ab

effervescente ſanguine, ſed ab hujus craſſitie & ſegnitie (inopiæ ſpirituum effectu) repetenda. Quæ in hiſce mutilatis mutatio! ipſos nec ſuperbia inflat; nec inflammat ira; nec vindicta movet; nec delectat ambitio; nec voluptas abripit. Hæc omnia maximam ſpirituum paupertatem plerumque evidenter arguunt; aut ſaltem interdùm innuunt eos eſſe ſub craſſiorum particularum pondere ita depreſſos; ut certo ſenſu inopes etiam dici poſſint, & deficientium inſtar ad mentis fecunditatem nullatenùs idonei. Si tanta in Eunuchis ſpirituum inopia! quanta illorum ubertas in iis, quibus teſtes ſervati ſunt! id contrariorum lex utique demonſtrat. Illis orbati ſapienter ſanè nunc, ut olim, excluduntur à ſacerdotio, in quo mentis robur (perpetuus abundantium ſpirituum comes) tùm ad explananda, cùm ad tuenda ſupremi Numinis oracula requiritur. Graviter delinquunt, qui curandarum herniarum gratiâ, aliiſve de cauſis gemina hæc generationis organa præpoſterè eximunt, vel atterunt, vel frangunt: ut qui vitiorum turpitudine, veneris præſertim contagio ſibi accerſunt affectus, ſolâ iſtorum virilium ſectione ac ſublatione ſanandos. Utrique non modò corporibus, ſed etiam ingeniis, artibus proindè & ſcientiis, infenſi, perniti oſi, divinis humaniſque legibus coercendi. Quàm igitur utiliter ejuſcemodi partes, validiſſimæ ſpirituum procreatrices, mentis fecunditati inſerviunt! quò enim copioſiores erunt ſpiritus; eò plures cerebri characteres reſerare, luſtrare, ab hiſque modificationes & typos diſtinctiùs recipere poterunt; & ipſis propterea uberiores ac fortiores ideas, atque cogitationes ſuſcitare dabitur. Hi mentis fetus tot ſunt aliquandò, tàmque micant: ut novæ ac innumeræ veluti Minervæ ex humanâ mente naſci videantur. Mirare veri Jovis agendi rationem, ſancitaſque leges in fecundandâ ipſius imagine: & quantam in tantum opus teſtibus vim tribuerit.

Ergò teſtes ad mentis fecunditatem multùm conferunt.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Petrus Afforty.	*M. Jacobus Fourneau.*	*M. Nicolaus Andry, Lector Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ socius.*
M. Antonius-Claudius Renard.	*M. Michael-Ludovicus Reneaume de la Garanne, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*	*M. Claudius Dufreſne.*
M. Franciſcus Bailly.	*M. Raymundus-Jacobus Finot.*	*M. Philippus Hecquet, ant. Facultatis Decanus.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-FRANC. LEAULTE' Pariſinus, Baccal. Medicus, A. R. S. H. 1717. à 6ª ad merid.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.